

17

408

DISPUTATIO IN AVGVRA
JURIDICA
DE

SERVITUTIBUS

1622, 1

tum in genere, tum de realibus & per-
sonalibus in specie.

20

Ex tit. ff. de Servitutibus & usufr. & ex c. fin. X. de pignor. de prompta.

QUAM

Auspicio Divini Numinis,
Autoritate & Decreto Nobilissimi J. C. tornm. ordinis, in
inchoata Academia Francofurtana

Sub Praesidio

Viri Amplissimi, Excellentissimi & Consultissimi

DN.

MATTHÆI COLDEBACII, J. U. D.

& in Academia Viadrina Professoris Codicis,
ejusdemque Facultatis Juridicæ DECANI,

Practici eximii:

Pro Doctoratus privilegiis & insignibus in utroque
jure legitime consequendis,

Publicæ Disquisitioni subicit

Nonis Decemb.

CHRISTIANUS Kienast

F. I. L.

ANNO CHRISTI

M. DC. XXII.

Literis

HARTMANNIANIS.

*Prestantissima
An. Wilm
genus per a
traterne est
mando.*



DISPENSATIO IN VINO

SEBASTIANUS

in

in

in

in

in

in

in

in




53

In Nomine Domini nostri JESU

CHRISTI

THESIS I.



Imperator Justinianus res dividit in corporales & incorporales. Corporales sunt, quæ sui naturâ tangi possunt, & alioquin oculis subjectæ sunt, quales sunt: vel mobiles, ut equus, aurum, vestis, gemma: vel immobiles, ceu fundus.

2. Nec semper necesse est, ut res corporalis ipso actu tangatur, sufficit quippè potentia: nam & ea, quæ sunt in profundo maris, licet actu ea nemo tangere possit, sui tamen naturâ & potentiâ, tanquam substantialia, tangibilia sunt.

3. Res mobiles subdividuntur in res moventes, quæ à seipsis moventur, prout sunt equus & cætera animalia; & mobiles in specie: quæ non moventur, nisi ab alio.

4. Incorporales sub oculos non cadunt, nec ullo modo tangi possunt: (tangere enim aut tangi, nisi corpus nulla potest res, teste Lucretio) sed solâ animi seu intellectus cogitatione percipiuntur, ceu ususfructus & hereditas.

5. Ad hoc autem ut res dicatur incorporalis nihil obest, quod substantia, in quâ res illa spectatur, sit corporalis. Quia tum non ipsa substantia, in quâ tanquam subjecto, res incorporalis, ut adjunctum hæret, attenditur, sed ipsum adjunctum ..

6. Quare Seneca non rectè reprehendit JCtos, qui hereditatem à rebus & corporibus hereditariis secernunt. Quia hereditas interdum, sine ullâ re hereditariâ esse potest: v.g. si damnosa sit: & quando heres non est solvendo.

7. Porrò considerantur res incorporales tripliciter. Aut enim sunt quantitatis, prout est numus, qui est valor materiæ: in nummo siquidem non tam aurum & argentum, quam valor & potestas attenditur. Aut facti, ut puta est possessio. Aut juris, veluti est hereditas & servitus, &c. Nos posthabitis reliquis jam servitutum materiam considerabimus.

8. Quia verò non una servitutis ab Interpp. datur definitio, ideo placuit Dn. Vultej. huc referre: cui servitus est jus serviendi in re alterius constitutum.

A 2

9, Jus

9. Jus autem illud est vel personæ: quando nimirum aliquam utilitatem adfert isti personæ, cui in re alterius ejusmodi jus constitutum est, undè personalis; vel prædii: cui quoq; in re vel prædio alterius ejusmodi jus constitutum est, indidemq; aliquam utilitatem nanciscitur, undè prædialis vel realis servitus dicitur. Exindeque summa servitutum distributio: vel personarum, vel rerum nata est.

10. Ubi tertiam speciem, quando homo servit homini, non agnoscimus. Quippè cum illa quidem servitus sit, sed tamen non eadem cum hac nostrâ. Nam ea servitus quæ de hominibus accipitur, dicta est à servando, & definitur constitutio juris gentium, quâ quis alieno dominio contra naturam subjicitur. Hæc nostrâ verò non à servando, sed à serviendo nomen accepit, quæ dominium rei servientis non transfert in eum, cui, vel cujus rei servitus debetur.

11. Quare hæc servitus nostrâ non est in rebus nostris, sed in rebus alienis. Illa non est in rebus alienis, sed in rebus nostris.

12. Ut tamen qualitas cujuscunque servitutis eò melius dijudicari possit, semper respiciendum est ad illud, cui servitus debetur, non etiam ad res, quæ servitutum debent.

13. Sic servitus personalis erit jus personæ, quo ei RES aliena servit: servitus realis erit jus prædii, quo servit PRÆDIUM prædio. Illa personam sequitur, atque cum eâ extinguitur: hæc rem. In illâ servire possunt RES tam mobiles quam immobiles: in hac tantum immobiles, undè hæc servitutes reales jura prædiorum nominantur.

14. Quando quidem jam in servitute reali, res saltem immobiles serviunt, palam fiet, servitutum neutiquam esse, quando rei alicui à personâ aliquid debetur: utputâ quando persona cogitur ad sistere certo cuidam loco, vel quando alicui testamento relicta est hereditas, eâ lege, *ut statuto tempore lucernam accendat monumento, & solemnia mortis peragat*: sed satius est obligatio personalis, quâ quis ad officia quædam præstanda obstringitur.

15. Species servitutis personalis recensentur tres: quarum prima dicitur ususfructus. Bisariam autem accipitur hoc vocabulum in jure nostro, vel generaliter, vel specialiter. Generaliter definitur, quod sit jus re aliqui utendi fruendi.

16. Quâ ratione is quoque usumfructum habere dicitur, qui rei suæ commoditates percipit, & is ususfructus pars dominii est, non servitutis, quia res sua nemini servit, & aliàs ususfructus causalis dicitur, quia dominus

minus eum habet ex causâ rei, seu jure dominii: undè proprietatem co-
mitatur.

17. Specialiter verò definitur, quod sit servitus personalis rebus alie-
nis utendi fruendi, salvâ rerum substantiâ: & hic non est pars dominii, sed
servitutis, de quo usufructu propriè loquitur definitio Pauli: quam spe-
ciem Interpp. vocant usufructum formalem, quoniam est forma uten-
di fruendi à proprietate separata.

18. Et hic formalis usufr. subdividitur in VERUM, de quo definitio pro-
ximè proposita; & quasi usufructum: cui dicta definitio non nisi per si-
militudinem & quodammodo convenit: quique revera non est usufru-
ctus, sed ejus saltem analogia.

19. Verus consistit vel in rebus allodialibus, qui non est pars dominii,
sed servitutis: vel in bonis feudalibus, qui neque pars dominii, neque ser-
vutis, sed juris specialis est. Quasi usufructus consistit in illis rebus,
quæ usu consumuntur, quales sunt oleum, frumentum, vestimenta, pe-
cunia numerata.

20. His ita præcognitis, cum totum jus consistat aut in acquirendo;
aut in conservando: aut in minuendo; servitutum species hoc ordine
considerabimus. Atque primo de usufructu.

21. Constituitur autem usufructus vel testamento, vel sine testamen-
to. Testamento; quando ultima voluntate fundi legatur usufructus, in
hunc modum: *Titio fundi Cornelianus usufructum do, lego.*

22. Sine testamento constituitur vel à lege, vel ab homine. A lege, ve-
luti: patri in bonis adventitiis liberorum, quos in potestate habet. Huc
pertinet quæstio: An pater quoq; in bonis feudalibus adquisitis usufru-
ctum habeat, ut in allodialibus, vel libellariis: vel ut alii; an feudum fi-
liosfam. cõcessum acquiratur patri? & respondemus ejusmodi bona ab o-
nere usufructus paterni libera esse. Item etiâ pro parte dimidia in bonis
emancipatorum, puta à filiosfamilias ante emancipationem adquisitis. Sic
quoq; usufructus constituitur lege, quando conjux ob pœnam secunda-
rum nuptiarum, omnium rerum: quas à viro accepit, amittit propieta-
tem, & nudum usufructum retinet: quæ cõmuni mulieris & viri mul-
ta posita est. Eadem quoq; ratio est, si aliquis ex filiis prioris matrimonii
decesserit, matre jam secundis nuptiis funestata, tunc id, quod per defun-
cti filii prioris matrimonii successione, vel ab intestato, vel testato cõ-
secuta est, defuncti filii fratrib. ex priore matrimonio superstitibus relin-
quit: quod nec jure Canonico, (ut perperâ quidâ putant) correctum est.



23. Insuper quoque constituitur usufructus lege, per conjunctionem sive jus adscrescendi, ob defectum collegatarii : ne tamen conjunctio contingat ex diversis testamentis. Denique constituitur per longi temporis possessionem.

24. Ab homine constituitur ususf. vel à judice, vel domino. Illo modo in judicio familiæ herciscundæ & communi dividundo alteri proprietas, alteri usufructus adjudicatur : Hoc modo cōventionem, ut pactis, aut stipulationibus. Sic mulieri interdum constituitur usufructus aut dotalitium in bonis mariti, ita tamen, ut tutoris ad id dati autoritas interveniat, secundum id: *Weiber sollen Vormund haben / ob man ihn eigen vnd Leibgeding giebet.*

25. Alia autem ratio est ususf. legati ; alia vicissim per conventionem constituti. Nam illo casu acquiritur ipso jure, etiam ignoranti : undè legatario, ut rei legatæ vero domino competit pro possessione ejus consequendâ actio confessoria. Sed quæritur hic: quando dies usufructus purè legati cedat ? & R. tempore aditæ hereditatis, (quod in legatis singulare est,) tùm, quia ususf. intelligi non potest, nisi sit, qui frui patiatur: tùm quia hic deficit ratio, quod cætera legata morte testatoris cedant. Nam in illis hæc est ratio, quod legata ante aditam hereditatem, ad heredes transmitti possint, neq; fiant caduca ; usufructus autem legatus, ad heredes transire non potest, sed omninò caducus est. Hoc verò casu, traditione: ut in re mobili; vel patientia: ut in re immobili, ceu quando dominus fructuarius in eam inducit fruendi causâ. Quod si neutrum horum præcesserit, fructuarius non vindicat, sed tantum actio personalis, forsan ex stipulatu, ei datur.

26. Quæstio huc pertinet : utrum vasallus possit in fundo feudali usufructum constituere ? quod negamus, quia vasallus invito domino non potest feudum alienare. Ususf. verò dare est alienare: maximè cum feudum sit usufructus, prout supra dictum: & an quasi usufructus quoque pactioibus & stipulationibus, an verò ultimâ saltem voluntate constitui possit? hic illud negamus, hoc adfirmamus.

27. Neque tamen dominus ad hanc traditionem vel patientiam, sive constituti, sive promissi usufructus cogi potest ; nisi prius cautionem idoneam præstiterit fructuarius, & promiserit, se usurum boni viri arbitraturus: & usufructu finito, rem fructuariam salvam restitutum proprietario. Quæ cautio fidejussoribus præstanda est, quia Prætoria est : Prætoriz autem in satisfactiones personas desident. In quasi verò usufructu promittit:

537
tit: quod quidem eandem rem restituere velit: non in specie, ut in verò usufructu; sed in genere.

28. Hinc constituto usufructu, fructus, sive sint naturales, ut poma: sive civiles, ut rerum locatarum mercedes, omnes fructuario cedunt, si modo percipiuntur secundum usum, ad quem res quæque habentur: qui contra fecerit, re abutitur. Itaque legato usufructu ædium, non nisi secundum conditionem suam locari debent: hoc est, ex honestâ domo non canponam, ex cœnaculis non meretricia efficere, nec meretrices in eam inducere debet.

29. Quoniam autem fructuarius fructus, ut commoda sentit, non immeritò quoq; incommoda circa eos sentire debet, cujusmodi sunt ea, quæ ob transitum exercitus militibus dantur. Item rem tueri, sicut aliàs fructuarius omnem curam & diligentiam, quantam scilicet diligens paterfam. solet adhibere reb. suis in adservandâ re salvâ & integrâ, adhibet. Unde probè attendat, quandò alicui ædes fructuarias locat, quis conductor sit: an negligens vel diligens? Nam si ædes forsitan igne postea consumptæ fuerint, & nō pateret undè incendium sit exortum, tunc sanè usufructuarius damni incendii nomine dati convenitur, & probare tenetur se extra culpam fuisse, quia jus præsumit contra usufructuarium, nam incendia plerumque culpâ inhabitantium fiunt. Quare curâ & diligentiam præcavere debet, ne ædes igne pereant.

30. Hoc singulare est in locatione rerum usufructuarium, quod ad exemplum venditionis, quando dicimus *Kauff gehet vor Mühte* / usufructuarius conductorem è relocatâ possit expellere, etiamsi à domino proprietatis ante cōstitutum usumfructum res locata fuerit, nisi id ipsum specialiter expressum sit: Et viceversâ, quamvis fructuarius locavit rem usufructuariam, *in quinquennium forsan*, & decesserit, tamen potest proprietarius conductorem repellere, ante elapsam quinquennium, & nihilominus heres usufructuarii non tenetur: ex locato verò, ut pro rata temporis, quo fructus est, pensionem præstet conductor, rectè tenetur.

31. Ad incommodum quoque fructuarii pertinet, ut suis sumptibus facta tecta præstet, nisi sumptus sint immodici. Nam ædificia, quæ vetustate & tempestate collapsa sunt, reficere non tenetur, quia culpa non est fructuarii. Sic quoq; propter incommodum, in locum demortuarum arborum tenetur alias substituere: vel quando quis habet usumfructum universitatis, tenetur ratione gregis ovium in locum demortuorum caprum alios ex fœtu substituere.

32. Ge.

32. Generaliter dicimus usumfructum conservari utendo: sive ipse fructuarius utatur, sive nomine ipsius alius, veluti emptor, conductor, donatarius, negotiorum gestor.

33. Insuper quoque conservatur usus, actione confessoria, quâ dominus ususfructus in re alterius sibi vindicat, nisi talis exceptio fructuario opponatur, quæ etiamsi dominium vindicaret, posset eum præsentem vel absentem excludere: *si forsitan volente usufructuario proprietarius fundum alteri vendiderit.*

34. Quinimò ad conservandum usumfructum interdicta quoque profunt, puta utiliter: quia directum interdictum non datur nisi possidentis jura autem non possunt possideri. Qualia sunt, si usufructuarius in quasi possessione rei immobilis turbetur, **UTI POSSIDETIS**: si verò res fuerit mobilis, in quâ ejusmodi jus constitutum est, interdictum **UTRUBI**. Sic quoque datur interdictum **UNDE VI** quod est recuperandæ possessionis. Sic quoque interdictum **QUOD LEGATORUM**, id quod adipiscendæ possessionis causâ comparatum est.

35. Finitur ususfructus dupliciter, vel ex voluntate usufructuarii, vel ex necessitate. Illo modo, quando usufructuarius jus utendi fruendi cedit domino proprietatis, ad quem per ejusmodi cessionem ususfructus revertitur.

36. Quæritur hic, utrum usufructuarius usumfructum alienare, atque in eum, qui proprietatem non habet, transferre possit? ubi Distinguiamus inter jus utendi fruendi, & inter commoditatem percipiendi fructus: adeò ut illud neque locare possit tantum abest ut vendere: hoc omninò & vendere, & pignorare, & locare.

37. Hoc modo, veluti morte fructuarii, maximâ & mediâ cap. deminutione, (quibus modis quoque quasi ususfructus finitur) exceptis excipiendis. Quorsum pertinet quæstio de fructibus ultimi anni, utrum heredi fructuario; an verò proprietario cedant? Dist. aut sunt percepti, aut pendentes: isti cedunt, hi non, quia sunt pars fundi. Secus tamen de jure Saxonico. *Demn was auff dem Leibgeding des Ackers bey Lebenszeit des fructuarii bestehet/der Pflug gewircket/ vnd die Ege bestrichen hat/auch vnz den Zins von Müssen/Zöllen / Münzen vnd Weingarten anlanget/ist alles verdienet vnd folget das usufructuarii Erben.* Quid, si ususfructus relictus sit universitati Ecclesiæ, vel cæteris, quæ mori propriè non dicantur? placuit durare usque ad centum annos, quia is finis vitæ longævi hominis est.

38. Insuper

38. Insuper quoq; amittitur non utendo per modum: quando scilicet secundum modum conventum non utitur fruitur, ut quando usufructuarius utatur saltem, non fruatur; & tempus, uti supra dictum. Item totius rei interitu: cui quoq; non absimilis est rei mutatio. v.g. *Si ex quadriga, qua usufructum debet, unus equus perierit, ut iam non possit quadriga dici amplius, qua ex quatuor equis jugalibus nomen habet,* placuit eo casu usufructum recte extinguere. Deniq; occupatione hostium, qui tamen postliminii jure restituitur: & repudiatione.

39. Reliquæ servitutis personalis species sunt usus & habitatio: ubi quaeritur; an non in jure plures servitutis personalis reperiantur species? quod affirmamus. Nam aqueductus, haustus aquæ, pecoris ad aquam adpulsus, jus premendi uvas in tuo torculari, jus utendi areâ tuâ, interdum servitutes personales sunt, id quod in collatione probabitur.

40. Est autem usus servitus personalis, utendi rebus alienis, salvâ rerû substantiâ. Quare in usufructu plus est quam in usu. Quia usus necessitatis tantum est, usufructus etiam voluptatis. Sic usufructus alii concedi potest, usus nequam. Sic fructui usus inest: usufructus deest, & fructus sine usu esse non potest, usus sine fructu potest.

41. Constituitur & finitur usus illis modis, quibus & usufructus.

42. Habitatio est servitus personalis habitandi in alienâ domo, salvâ domus substantiâ. Quæ diversa est ab usu. Quippè habitatio locari potest, usus non item. Sic hæc servitus non nisi in ædibus consistit, usus vero omnium rerum esse potest.

43. Hæc species per legatum constituitur; & solo rei interitu & morte inhabitantis finitur, non verò capitis deminutione.

44. Servitus realis quid sit, hoc patet supra ex th. 13. quæ aliàs dicitur servitus prædii, quia servitutes reales non aliter debentur, nisi Prædio à prædio: undè nemo servitutes potest acquirere, nisi qui habet prædiû.

45. Quandoquidem jam prædium generale nomen est, illud merito dividitur in rusticum & urbanum. Rustica sunt quorum usus est rusticus: urbana, quorum usus est urbanus. Sic usus prædii urbani consistit in habitatione: rustici verò in agriculturâ & receptione fructuum. Undè potest esse prædium urbanum extra urbem, & prædium rusticum in urbe. Nam villa in qua ruri habitat villicus, est extra urbem, & tamen est prædium urbanum: uti è contrario horti, qui sunt in urbe, prædia sunt rustica, quia plus habent redditus, vinearij for. è, vel etiam olitorij.

B

46. Com-



46. Communiter Interpp. hic exigunt vicinitatem prædiorum, tam urbanorum, quam rusticorum. Alii saltem in prædiis rusticis, si non in urbanis. Verum nos exigimus vicinitatem in prædiis rusticis omninò: quam servitutum non impedit, etiam si prædium aliquod publicum interveniat, quo minus prædia vicina dicantur: in urbanis verò cum conditione, si forsan prædium medium servitutum impediatur.

47. Quare servitus prædiorum urbanorum est jus, quod in usum urbanum adquisitum est. Rusticorum, quod in usum rusticum. Urbanorum sunt, *servitus tigni immittendi, altius tollendi, altius non tollendi, servitus luminis, ne luminibus officiat, prospectus, ne prospectui officiat, stillicidium avertendi, stillicidium non avertendi, oneris ferendi.*

48. Servitus tigni immittendi est, quâ id agitur, ut ex pariete nostro liceat nobis tignum & trabem immittere in parietem vicini, ut ibi requiescat. Et qui debet hanc servitutum, solum ad hoc tenetur, ut tignum suscipiat, non etiam ut parietem reficiat.

49. Altius tollendi servitus est, quando quis formam ac statum ædificiorum vicinorum suis ædibus custodire debet, & hoc non fit jure libertatis, sed servitutis. Nec est quod dicunt usus expers hanc servitutum esse: nam prodesse potest, ut arceat & recipiat vim ventorum, vel ut præstet umbram eo in loco, quo solem habere gratum non est. Imò hæc servitus, secundum Zasium, mercatoribus quibusdam est commodissima, qui pannos & merces vendunt aliquando vitiosas, opacant n. tabernas, ne sol adfulgeat, & ne vitia pannorum videantur, ipsi interea excusant se dicentes: solem nocere coloribus: De quibus illud Baldi:

ô quo vadit anima mercatoris!

Quare jus Canonicum inducit, quod ille, qui ita vendit, sine mendatio & perjurio esse nō possit, & quod de substantiâ negotiatorum nil remaneat nisi solum peccatum. Altius verò nō tollendi servitus est, quâ prohibeor ædes meas altius tollere: & hæc servitus minus continet, quam servitus ne luminibus officiat. Nam illam qui debet, altius saltem ædificare non potest, viridaria super eam altitudinem rectè habere potest. Aliud namq; ædificare est, aliud arborē ponere. Hanc verò qui debet, ille nihil extruere potest, quod impedit alterius lumen: sive sit domus, sive arbor, aut aliud quid. Differunt itaq; ut genus & species.

50. Servitus luminis & ne luminibus officiat quoq; ab invicem differunt. Est enim servitus luminis ut vicinus lumina vicini sive fenestras, quibus

quibus lumen cœli hauritur excipiat: & hic potest altius ædificare, & auf-
terre lumina aliarum fenestrarum, dum unam tamen observet, quæ vici-
no lumen sufficiens immittit. Altera verò ne luminibus officiat plus in
se continet. Nam qui eam debet, ne quidem abundantiam lumini nocere de-
bet. Posito: quod ego habeam lumē ultra, quam expediat, forsan per plu-
res fenestras in parietibus meis; tunc is, qui hanc servitutem debet, nulli
earum ædificando nocere poterit, etiamsi una tantum fenestra mihi suf-
ficeret ad lumen.

51. Quæritur hic, utrum ne in pariete suo, invito vicino, liceat alicui
fenestras habere apertas? vel ut vult Schneidvvinus, utrum quis in parie-
te suo, qui est juxta hortum cujusdam puellæ, possit facere fenestram, u-
bi antea nulla fuit, ad hoc, ut quotidie amasiam conspiciere possit, sicut
fecisse Pyramum colligitur apud Ovid: ibi:

--- paries quid amantibus obstas?

Affirm. ita tamen, ut vicinus vicissim jure suo in fundo proprio aliquid
erigere, & fenestras impedire, non agere contra vicinum possit.

52. Prospectus est, quando vicinus mihi concedit, ut habere possim
prospectum ex domo vel camera mea in suum campum vel hortum, ubi
antea nullus fuit. Servitus autem ne prospectui officiat est, quando jam
tūc habeo prospectum, non jure servitutis, sed proprio constitutum in
muro meo, forsan per fenestram. Quoniam autem tu posses mihi pro-
spectum hūc impedire, & ædificare, petii ut promitteres mihi servitutem
ne prospectui officiat, & promisisti. Ecce hæc servitus est de prospectu
præsenti, juxta verba, *ne prospectui officiat*: illa de prospectu futuro, ut
nimirum mihi concedat prospectum. Et quamvis servitute prospectus
contineatur quoque servitus ne prospectui officiat, tamen hoc non fit
directo, sed per consequens.

53. Stillicidium avertendi est, cum vicinus contra libertatis rationem
per canales tubulos stillicidia vicinæ domus in suam aream vel tectum
recipere tenetur, wenn die Trauffe auff des Nachbarn Dach oder Hoff
fällt. Quæ servitus nemini obrudi potest, nisi fundo servienti, dum quæ-
libet domus præsumatur libera, unde jus Sax. Es mag kein Mann seine
Trauffe hengen auff eines andern Mannes Hoff / nisi servitus imposita
sit. Stillicidium non avertendi è contrario patet, quando forsan utile mi-
hi est, ut aqua stillicidii tui cadat in domum meam, putâ propter cister-
nam meam, quæ repleti debet aqua tui tecti, tunc stillicidium in tuam

B 2 nob. ibi. aream

aream vertere non potes, si mihi hanc servitutem debes. Ubi singulare est, quod hæc servitus altius, non verò inferius dimitti queat.

54. Servitus oneris ferendi est, quando columna vel paries vicini in ei, cogitur ferre onus domus meæ, & tunc dominus prædii servientis potest compelli ad parietem reficiendum.

55. Species rusticorum prædiorum sunt iter, actus, via, aquæ ductus, haustus aquæ, pecoris ad aquam adpulsus, jus pascendi, calcis coquendæ, arenæ fodiendæ.

56. Iter est jus eundi, ambulandi hominis, sive ipse pedibus ambulet, sive à servis suis vehatur sella vel lectica: denique quo quis pedes vel eques commeari potest, ein Fußsteig darüber man pfleger zu gehen vñnd zu reiten/cujus latitudo in jure definita non est: ubi verò à partibus non est statuta, ab arbitro & iudice determinari solet: jus verò Saxonicum vult das ein Fußsteig soll haben in die weite drey Fuß breit.

57. Huc pertinet quæstio, si servitus itineris legata sit vel promissa, cuiusnam sit loci electio, an legatarii vel stipulatoris, an heredis, vel promissoris? ubi illius esse electionem volumus: quia hæc oratio PER FUNDUM, de toto, cui convenit, accipi debet, siquidem omnes partes fundi continent, unde quoque totus fundus servire dicitur, *si modo nulla captio legatio in servitute sit*: semel tamen loco determinato, ille solus serviat.

58. Actus est jus agendi jumentum vel vehiculum, & huic actui iter perpetuò inest, quia nunquam actus sine itinere esse potest: nec hujus latitudo legibus definita est, ideò arbitraria. Quod si latitudo determinata nimis est angusta, ut ita vehiculum ducere non possim, tum jumentum actui sufficit.

59. Via est jus eundi, agendi & ambulandi hominis, nam iter & actum in se continet. Et hic sub voce agendi etiam tractus lapidis, & tigni, & hastæ gestatio intelligitur, quod in actu non conceditur. Quare hæc servitus pinguior est, & plus juris habet quam iter & actus: & quamvis is, qui servitutem viæ habet, pro lubitu possit ire, agere, ambulare, tamen hoc facit saltem ratione unius servitutis nimirum viæ: nec tunc istæ servitutes sunt separatæ, sed una est servitus. Hujus verò latitudo de jure est definita, quæ est in porrectum 8. pedum, in anfractum 16. Interdum tamen latior vel angustior constituitur. Ubi incidit quæstio, an is cui debetur via, possit petere & viam, & actum, & iter? quod neg. Et hoc intellige de via alicujus privati, quâ non omnibus uti licet, sed illis saltem, qui hanc servitutem ratione fundi dominantis habent.

60. Ali a

54
60. Alia autem est ratio viarum publicarum, quæ non in solo privato, sed in solo publico sitæ sunt, & aliàs dicuntur viæ Regiæ. Prætoriarum, Consularium: item militares: nobis freye Kaiserliche Strassen/Item Herren Strassen/Item freye Reichs Strassen/quæ Regalibus annumerantur. Partim ratione protectionis & jurisdictionis: partim ratione dispositionis: quod scilicet Imperator, vel is qui eas habet concessas, singulari quadam religione sarras tectas, & securas servare, & aliàs deprædatis damna sarcire tenetur, præsertim si vel pedagium, vel vectigal eâ causâ sit dependens: unde statuunt recessus Imperii: Das der Standt/so solch Geleite gegeben/nach gestalt solches Geleits/ dem beschädigten seines Schadens/erstattung zuthun schuldig sey. Sic concessa castro nobili vel alii domino, cum omnibus suis pertinentiis, puta mero & mixto Imperio, non una conceduntur viæ Regiæ, unde neque cognitio homicidii in istâ viâ commissi ad magistratum, qui juxta illam viam merum habet imperium, pertinet, sed ad eum, qui Regalia habet.

61. Aquæ haustus est jus hauriendi aquam ex alterius fonte privato ad sui prædii utilitatem: dum tamen hoc fiat ex puteo vivo, non ex cisterna, quia res, in qua servitus constituenda, debet habere causam perpetuam.

62. Aquæ ductus est jus aquæ ducendæ per fundum alienum, sive jam sit inventa, sive adhuc inveniendâ; quod fit per fistulas, sive per rivum. Ubi notandum, quod is, qui hoc jus habet, postquam incepit ducere per unam fundi partem, is deinde mutare non possit, & derivare per alteram, quia civiliter uti debet jure servitutis.

63. Pecoris ad aquam adpulsus est jus adpellendi pecora agro alicujus inservientia, ad aquam prædii vicini. Et etiamsi quis majorem numerum adpulerit, quam debuit, tamen non in omnibus prohibetur, unde nec servitatem amittit.

64. Calcis coquendæ, arenæ fodiendæ servitutes sunt, si ex prædio vicino calcem & arenam effodere liceat, propter prædii nostri utilitatem.

65. Servitus pascendi est jus pascendi pecora in alieno fundo. Itaque, qui hanc servitatem non habet, in alieno pascere permissum non est, aliàs tenetur actione de pastu pecoris, vel de pauperie. Ex Friderici tamen Constitutione notandum, quod viatori equum suum in alieno agro pabulare permissum sit, quantum scilicet propinquius secundum viam stans, arripere poterit. Pascua autem sunt vel privata, vel publica. Priva-

ta sunt, quæ competunt alicui privato jure proprio; forsan quando quis emit sibi hanc servitutem, vel alio modo sibi adquisivit eam: quæ interdum est continua, hoc est, quovis anni tempore, interdum discontinua, hoc est, tempore, quo fruges collectæ sunt, zu offenen zeiten vnd nicht in geschlossenen Feldern / Undè de jure Saxonico nemini licet pecora sua segregatim pascere, nisi tres mansos habeat: Denn wer drey Hufen Landes hat/oder mehr/der mag seinen eigenen Hirten halten: ita tamen das er mit seinen Schafen vud Viehe anderer Hufen nicht betreibe/sondern auff seinen eigenen Hufen bleibe. Publica sunt, quæ sunt alicujus universitatis seu civitatis, quæ habet fundos, prata & sylvas, in quibus omnes & singuli ex universitate sua pecora pascere possunt, & ad hoc pastorem publicum conductum habent. Ubi jus Saxon. si culpâ ille pastor amiserit armenta, ad restituendum tenetur, das soll er gelten: Si autem culpa ipsi imputari nequit; non tenetur, was ihm die Räuber oder Wölffe nehmen/ vnd beschreyet es mit dem gerufft / also das er Zeugen haben mag/bleibet er ohne Schaden.

66. Constituuntur servitutes reales tum inter vivos, tum ultimâ voluntate. Inter vivos: conventionibus, ceu sunt pactiones & contractus, modo patientia loco traditionis præcedat: item per longi temporis possessionem: item per adjudicationem. Ultima voluntate, utputa: codicillis, legato, fideicommissis, &c.

67. Cæterum servitutes reales ipso jure neque ex tempore, neque ad tempus, neq; sub conditione, neq; ad certam conditionem, v.g. (*quandiu volam*) constitui; stipulari tamen & promitti rectè possunt. Ita ut existente conditione actione personali ad servitutem agi liceat: quia qui promittit, non dat, ut ille qui constituit, sed tantum ut sese obligat. Ad tempus veluti: *quoad vitam* vel *ad decem annos* propterea non constituitur, quia obligatio ad tempus constitui non potest, sed tempus adjectum pro non adjecto habetur. Certo autem modo rectè constituitur, ut nimirum *certa pecora transducantur*, vel *certum pondus vehatur*: quò intervalla quoque dierum & horarum pertinent, quæ servitus non ex certo tempore, sed tempore tantum temperata est.

68. Ad conservandas servitutes reales prodita est actio confessoria, quæ in rem est, quâ dominus servitutem fundo suo deberi intendit: ut è contra negatoria est, quæ non vindicat servitutem, sed negat, & libertatem vindicat.

69. Porro

69. Porro hujus servitutis quasi possessio conservatur interdictis, ve-
luti utili retinendæ & recuperandæ possessionis : ita tamen ut in posses-
sorio judicio saltem possessionem, in petitorio verò jus sibi acquisitum
esse probet. Undè confessoria vel negatoria, hoc est: petitorio saltem do-
minus agit: possessorio quoque non dominus.

70. Jura prædiorum morte & cap. deminutione non pereunt, ut su-
prà usufructus. Sed amittuntur confusione, si scilicet idem utriusque
totius prædii dominus esse cepit: veluti, quando quis ædes, quæ suis æ-
dibus serviunt, emit. Nulli enim res sua servit. Et si rursus vendere vult,
nominatim imponenda servitus est, alioquin liberæ veneunt. Si autem
ex parte saltem dominus prædii servientis factus sit, tunc servitus manet
pro parte scilicet prædii, & pro parte amittitur.

71. Deinde amittuntur remissione, eaque vel verbis expressâ vel fa-
cto. Verbis, cum is, cui servitus debetur, eam servitutem domino prædii
servientis spontè remittit. Facto : quando dominus fundi dominantis
concessit in loco serviente id facere ; quo usus servitutis impeditur, v. c.
*si illicidii immittendi jus habeam in aream tuam, permisero postea jus tibi
in ea area edificandi maceriam.*

72. Sic quoque quando heres, fundo sub conditione legato imposuit
servitutem, tum existente conditione extinguitur illa servitus. Hic sub-
jicitur quæstio speciosa, utrum quoque rei, in qua servitus constituta e-
rat, interitu, illa servitus extinguatur? quod affirm.

73. Denique amittuntur servitutes reales non utendo, sive sint rusticorum
sive urbanorum prædiorum, ita tamen, ut aliter rusticæ, aliter urbanæ.
Nam in urbanis servitutibus requiritur, 1. ut is, qui servitutem debet,
quando dominus prædii vicini non utitur servitute, libertatem ædium
suarum simul usucapiat. 2. ut nemo servitute constituta sit usus. 3. ut ne u-
sus per totum constitutum tempus. In rusticis verò servitutibus non uten-
do amittendis, quoque requiritur ; 1. ut nemo constitutâ servitute sit u-
sus, 2. & ut ne usus sit per totum constitutum tempus : tertium tamen, ut
is qui servitutem debet, libertatem simul usucapiat, non requiritur.
Ratio diversitatis hæc est: quia servitutes rusticæ etiam nudo non uten-
do amittuntur: Urbanæ verò non nudo non utendo, propterea opus est
usucapione libertatis. Unde in rusticis servitutibus nihil obest ei qui
servitutem debet, si is, adversario non utente servitute, statim in suo
non



non aliquid ponat ad impediendam in reliquum servitatem. Urbanam
vero debenti servitatem rectè obest. Quia aliàs libertatem non accipe-
ret, nisi simul aliquod opus faceret, vel ad impediendam servitatem,
poneret, atque ita possideret, (Id quod ad usucapionem necessarium
est) adeoque præscriberet. Ad quam præscriptionem bona
fides non requiritur.

Gloria non homini, sed tibi soli Deo!

C O R O L L A R I U M.

An Serenissimus Elector Brandenburgicus, dum
exulceratis hisce temporibus, omnis generis abusus
circa rem monetariam irrepfit; in suo territorio, rati-
one valoris monetæ, certum quid facere & promulga-
re possit? Aff. & animadversione dignum judicamus
eum, qui diversum statuere ausus fuerit.

In Præstantiss.

Dn. Christiani Kinasti

disputationem.

S *Venerunt alios alii proscribere morsu:*

KINASTUM non hæc livida febris habet.

Gloria de schedula mordenti fumus in igni est,

Disputat is bellè qui sine felle putat.

M. Paullus Francus, P.P.


ULB Halle 3
003 254 984




Sb.

W017







B.I.G.

Farbkarte #13

Inches

Centimetres

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

~~17~~ ~~408~~
~~GENERALIS~~

TIBUS 1622, 1

ibus & per- 20
de pignor. deprompta.

minis,
Ctornm. ordinis, in
tana
Consultissimi

BACII, J. U. D.
essoris Codicis,
& DECANI,

signibus in utroq;
ubjicit,
Kienast/

II.
ANIS.

*Prestantissima
An. Wismar
genus per a
fratere esti
mando.*